



**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Maria De Oegnies. 23. Iunii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](#)

350      *Vita Sanctorum.*      23. I V N.  
 & cum eo omnes vincitos Nolanos  
manu-misit, navesque in donum fru-  
mentarias complures addidit. Nolam  
igitur ingressus, pulchrum de servitute  
triumphum egit, pluribus eum civibus,  
quam Scipionem pileatis sequentibus.  
Sed liber animus corporis adhuc erga-  
stulo clausus tenebatur. Tandem anno  
CCCCXXXI. hic etiam vindicias se-  
cundum libertatem à morte accepit.  
At tunc Nola, imò Italia iterū captam  
sé putavit, libertatis suæ auctore amis-  
so. Ex *Dial. S. Greg.*

S. MARIA DE OEGNIES.

23. Junii.

**E**X amplissimo virtutum MARIAE  
OEGNIACENSIS viridario flores  
omnes præter virginitatis lilyum licet  
carpere. Hoc enim illi parentum im-  
portunitas invidit, qui iuivit nuptiis  
illigarunt; quarum vix libato usu, ma-  
rito continentiam persuasit, magnâ  
Christi approbatione, cuius crucem  
nunquam sine lacrimis, nunquam abs-  
que suo aliorumve bono adoravit. Mi-  
litem genere, quam moribus nobiliorē  
suis præceptionibus perductum ad fru-  
gem, malus dæmon ad infames nau-  
fragiis ejus scopulos retraxerat. Id Ma-  
ria longè absens vidit tamen, & Crucifixi  
affusa pedibus, precum finem non  
antè fecit, quam infelici avulsu con-  
tuber-

tubernio, Deo sisteret transfugam. Eandem sibi apud Deum patronam animæ piacularibus ardentes flammis optarunt, supplices nonnunquam ad eam manus tendere visæ: & verò quid illi cælum negaret, centies per diem flexo poplite supplicant, trecentis plagiis laceranti corpus, atro pane vexanti verius, quam extinguenti famem, & sanè non duraturæ inter hæc supplicia, nisi Angelorum præsentia foveretur, & familiari cum Dei filio usu, qui subinde suâ infantia amabilis, alias agni aut columbae specie decorus, ei delicias faciebat. Ab hoc illi mira in divinas laudes eloquentia, vires adversus inferni larvas suppeditatæ, quarum cum se una morienti ingereret, hoc ejus convitio fugata est: *Discede sanies, & turpitudo.* Id quâ fronte dicent, qui per omnem vitam se tam cupidè in hujus belluæ simeto volutarunt? *Ex Surio.*

## S. IOANNES BAPTISTA.

24.Junii.

IOANNES melioris Solis melior Phosphorus ortus sui nuntium Angelum habuit. Ipse in matre jam sanctus, vix natus est, cum mutum parentem loqui oracula infans fecit. Patriam dominum cum eremo mutavit, & cibum locustas ac mel agreste, vestem camelii exuvias habuit. Inde anno Tiberii imperantis